



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVI. De vitiosa Monarchiæ forma, quæ Tyrannis dicitur, eius ortus, proprietates, delectatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

de eare suo loco dicam, nunc in exponendis regnorum diuisionibus pergamus.

Regnorum
que legibus
admini-
stratur va-
ria genera.

§. 4. Regnorum quæ summæ potestati leges certas præfinitur, variæ etiam formæ, & olim fuerunt, & nunc videntur. Quatuor præcipuæ sunt. Nam aliquando princeps ius belli indicendi, & gerendi, iuris dicendi, sacrificiorumque habebat. Idemque erat Imperator, Iudex, Rector, Pontifex. Quibusdam locis ius dicebat, & ciuibz imperabat, belli gerendi ius non habebat. Nonnullis locis tantum sacrificiorum curam gerebat.

Reges qui illa omnia, sed ex legum præscripto præstare, plures fuere, nam Romulus, cuiusque successores Rempubicam administrantur ex legibus. Deinde reges & duces Iudaicorum, qui post captiuitatem Babylonicam floruerunt, Imperatores, Iudices, Rectores, pontifices fuerunt. Ea fere ratio est omnium, quæ hodie sunt, imperiorum, nisi quod sacerdotio abstinent. Sed tamen magna quoque in his varietas est, prout cuique Reipublicæ est visum sibi contra regnantium licentiam cauere.

Regna soli
bello facta.
Dictatura.

§. 5. Regna quæ solo bello durarent perpauca & rara fuere. Romæ summis in periculis Dictatorem dicebat Consul, qui gesto bello se magistratu abdicabat; erat vero imperium plane regium, & pene sine legibus, sed tamen à populo moderante pendebat; nam aliquando Dictatori magistrum equitum æquarunt. Apud Spartiatas perpetua fuit dictatura, quantum ad moderanda bella pertinebat. Nam domi summa potestas penes Ephoros erat, non regem; ille enim vitæ & necis ius in ciues nullum habebat, nisi in castris; dictatori Romano ciuem etiam indicta causa occidere licebat. Plato tam leni æqualitate temperatam potestatem in Epistolis vehementer commendat, nempe populi, & libertatis ex instituto Græcorum amator; alioqui ille ordo maximas res impedit; & Spartanis causa claudium fuit. Aristoteles lib. 3. politic. cap. 14. militare imperium appellat. *ἄνθρωπος ἡ βασιλεία, οὗτος ἐστὶν ἡ πολιτεία τοῦ ἀντοκρατοῦρος, καὶ ἀνδρὸς ἑνὸς.* Hoc igitur regnum est quasi prefectura militaris aliqua imperatorum, & perpetuum est.

Philippus
dux Græciæ.

Nomine tam lenis imperii, ne liberis Græciæ ciuitatibus titulo Regio inuisus esset Philippus Macedo, tyrannidem suam stabilire conatus est; In concilio enim Græciæ, vt decerneretur Dux belli, effecit, quasi tantum pericula contra Persas susceperetur esset, libertatem Græciæ nequaquam violaturus. Olim similis potestas erat Agamemnoni, cum Europa & Asia lento duello collisa est. Nam in concionibus, & regum conuentu maledicta, & conuitia tolerabat; etiam Thersites, & terretimus quisque *Διμήκερος βασιλεῦς*, populi voratorem regem appellabat, at vero extra concionem, in prælio, in expeditionibus, καὶ κλέπτει κέρειον, occidendius habebat: Id ipse profitebatur, iliad. 2.

Ὅν δὲ κ' ἐγὼν ἀποδεδεῖκε μάρχης, — ὅν δὲ Ἄχιον ἐσέταται θυρεὼν κέρει, ἡδ' ὀϊωνοῦς Πάρ' ὃ ἐμὸν δάνατον.

Quem vero ego pugna excessisse cognouero, non erit illi facile canes, & volucres fugere, penes me enim necis est potestas. Hoc genus imperii nec belli, nec pacis tempore esse utile, ipse Homerus satis indicat, dum contentionibus concionariis Imperatori auctoritatem detrahunt, & non nisi pro arbitrio pugnant; hinc Achyllis ira factum, vt tota Græcia pene periret, nec ad pugnam tamen cogere eum Agamemnon potuit.

Αἰσχυμῆ-
ται.

§. 6. Aliud regum genus memoratur ab Aristotele, quos l. 3. politic. c. 14. vocat Αἰσχυμῆται, fueruntque præcis Græcis sæpe usurpati. Cum nempe

suffragio suo principes aliquos eligerent, vel vt tota vita, & semper præessent, vel ad certum tempus, vel ad certa negocia, vt cum Mitylenæi Pitracum elegerent aduersum exules. Videtur autem *αἰσχυμῆται* ex eisdem fere causis orta quibus dictatura, vt libere alioqui, & populares Politicæ facilius vnus imperio componerentur, & discordiæ sedarentur.

Reges sacro-
rum.

§. 7. Reges sacrificiorum, duntaxat causa raro creatos legimus, nec regum nomine digni censentur. Romæ Rex sacrorum creabatur. Causam Liuius l. 2. & Dionys. l. 5. reddit. Verba Liuii sunt: Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde diuinarum habita cura, & quia quadam publica sacra per ipsos reges factitata erant, nec vbi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant, id sacerdotium pontifici subicere, ne additus nomine honos, aliquid libertati, cuius tunc prima fuit cura, officeret. Dionysius à Pontificibus, & Auguribus designatum, Agellius l. 15. c. 27. comitiis centuriatis factum. Huius non modo nulla erat Politicæ, seu regia dignitas, sed ne magistratum quidem capere licuit; imo nec alloqui quidem populum, quin etiam ante comitium facto sacrificio fuga se propiebat. Ludibrium igitur regum electorum potius, quam rex erat.

CAPVT XVI.

De vitiosa Monarchiæ forma, quæ Tyrannis dicitur, eius ortus, proprietates, delectatio.

§. 1. OMNIA imperiorum genera, cum à fine suo declinant, & vel regentium, vel parentium vitio, à iusto recedunt, Rempubicam admirabiliter conturbant, & plerunque in extrema exitia impellunt. Sunt autem quemadmodum Reipublicæ legitimæ formæ tres, ita quoque ab illis totidem declinationes. Regiæ potestatis abusus est Tyrannis: Aristocratia, Oligarchia: Politicæ, Democratia. Generale nomen tribus his vitiosis non est positum, vocari posset *καταρχία*, mala seu vitiosa Reipublicæ administratio. Definitio eius; *ἡ ἐξ ἡμετέρας τῶ συμφορῶν τῶ ἀρχόντων.* Imperium quod spectat utilitatem imperantium. Nomine imperantium intelligo etiam eos, qui imperantibus sunt coniuncti; multi enim magis cognatorum, filiorum, certæque partis, quæ est in Republica, quam causa sua tyrannice agunt. Explicationem igitur finitionem tradet, si quis dixerit, *Esse imperium quod ad imperantium, aut alicuius partis in Republica utilitatem respicit.* Sulla opes nobilitatis stabilire, Marius plebis potentiam tueri conabatur, Cæsar suum, nemo totius Reipublicæ bonum spectabat: nec melior aliorum, qui in partibus erant, animus; prædas, proscriptiones, hastam, inimicorum ruinam in occulto agitabant, bonum reipublicæ prætendebant.

Tria Rel-
pub. vitia.

Mali impe-
rii definitio.

§. 2. Cum igitur finis Monarchiæ mutatus est, pro regno Tyrannis inducitur. Est enim *Τυραννίς* *μοναρχία κατὰ τὸν ἀντικείμενον τὸν νόμον.* Monarchia ad utilitatem Monarchiæ. Eius tria genera facit Aristoteles libr. 4. politic. cap. 10. Barbarorum, Αἰσχυμῆται, & tertium quod maxime tyrannis est, *ἀντιστοίχῃ τῇ βασιλείᾳ*, quæ regno opposita est. Recte hanc maxime tyrannidem vocat, reliqua enim imperia possunt esse iusta, quamuis raro, quia paucissimi fuere sancti reges, qui sine lege pro arbitrio omnia moderati, nulli iniuriam fecerunt.

Pauci boni
publicum
querunt, o-
mnes præ-
texunt.

§. 3. Sed tertium tyrannidis genus grauissimum

*ranis in-
gens malū.*

est malum, malum violentum, & late patens. Eius ortus multiplex, sed ad trium generum aliquod referri potest. Nam saepe legitimi principes mutatis moribus, mutantur in tyrannos. Deinde principum potentes amici in ipsos dominos insurgunt, & regnum occupant. Tertio in politia demagogi, & leues populi ductores tyrannidem in deceptos vsurpant.

*Reges saepe
mutantur
in tyrannos.*

§. 4. Prima igitur & vetustissima tyrannidis origo est regum in peius mutatio. Ambitio, avaritia, libido potestatis comites sunt, & pestes. Et enim ut nemo fere principum est, qui non initiis mansuetudinem, clementiam, liberalitatem praeseferat, ita plurimi firmato imperio virtutis simulationem, multi virtutem exuunt. Haec mutatio humanae imbecillitati familiaris est, & animos ad deteriora propensos magno momento potestas impellit.

Scelera si nesciant

Regnum docebit.

Ita Atreus; dum filios scelerum consortes facit. Hinc vsu venit ut quemadmodum

Mitissima fors est

Regnorum sub rege nouo:

Sic tristissima sub Tyranno nihil timenti, & adulationibus efferato. Magna est in regno vis ad vitia; quia magna licentia, veri insolentia; mali approbatio. Saul diuini testimonio, & suffragio rex dictus est, & cum tamen potestas mutauit, ac Satanæ tradidit. Sapientiam Salomonis diu florentem tandem licentia regia perdidit. Asa, Amasias, Ioas, alii fortuna & felicitate in transuersum acti, multa tyrannice egerunt, quamuis initia eorum praeclarissima fuerint. Externa videamus. Romulus initio comis eo tandem insolentia, & crudelitatis progressus est, ut inter patrum manus disciperetur, ipsi patres Romani quamdiu cupiditates metu Tarquiniorum continuere, moderate egerunt, illis sublatis, ciues suos opprimere ceperunt. Decemviri legum scribendarum vno tantum anno virtutem simulare potuerunt.

Tiberius semulatur.

Tiberius profundissimus simulandi, dissimulandi que magister, diu negauit se imperium, quod tamen gerebat, accipere; esse magnam beluam, esse seruitutem miseram, & onerosam; nec minus tamen posita persona ciuilem se gessit, & quasi priuatum, at quanta postea saeuicia regnarit, nemini est incognitum, ut merito iactatum de illo sit:

Regnabit sanguine multo

Quisquis ab exilio venit ad imperium.

nam post lenia initia, exardescit calumniandi, atque accusandi furor, eius imperium non nisi nobilium carnificina fuit, ut praesagium Augusti euentus comprobaret, miserebatur ille populi Romani, qui sub tam lentis maxillis futurus esset. Suet. Tac. alii in Tiberio.

Caius magno gaudio exceptus est, studia hominum omni genere popularitatis sibi conciliauit, damnatos absoluit, exules restituit, reis ignouit. at paulo post in suum ingenium immigrauit, ac quantum summa vitia in summa fortuna possent, ostendit.

Claudius alioqui fatuus, & stipes, comitate & beneficentia breui sibi tantum amoris conciliauit, ut cum profectus Hostiam, perisse nunciatus esset, populus militem quasi proditorem, & senatum quasi parricidam diris execrationibus incessere non deleuerit: Sed breuis vsuram gaudii magnis calamitatibus stolidissimus, & ex metu crudelissimus princeps mature pensauit.

Neronis prima dicta, & gesta aureis, argenteisque columnis insculpenda iure optimo senatus censuit, & quinquennium eius non multi principes attingerunt, reliquam eius aetatem vix vltius vitia superata-

runt. Neque Galba, nec Vitellius, ne Domitianus quidem aspera initia habuit. Dioeletianus etiam, & Maximianus, atque adeo ipse Iulianus exordia regnandi incruenta habuerunt.

Mutantur igitur animi principum, & magnis claudibus Rempubicam primo, deinde seipsum inuoluunt; nec mirum eos mutari cum omnes ad laeta, & iucunda, pauci ad honesta, & dura inuident. In culpa tamen crebro sunt procures, populusque, dum dictis, seditionibus, conspirationibus principes exasperant, coguntque esse alienos, deinde praetextu cauendi crudeles. Multis principibus regna benignis videntur, si mediocritas eorum vitia, nec in cladem subditorum, nec publicum dedecus erumpentia ciuiler ferre, aut dissimulare possent, quae dum importune carpunt ac traducunt, nec illa emendant, sed, ut vulnera vexata, deteriora faciunt, & principem a se alienant.

*Mutantur
principes
adulatorū
blanditia,
& procerū
vitiis.*

§. 5. Alter exortus tyrannorum est ex principum ignauia, vel indulgentia, dum amicos quosdam negotiis praeficiunt, unde ad ea incrementa perueniant, ut iam pares sint principibus, aut etiam superiores, certe firmiore sint gradu, quam ut deici queant. Mirari libet regum & principum in nimia potentia amicorum fouenda consuetudinem, quos cum ad par pene fastidium euexerint, timere, vel amulari, saepe etiam odisse incipiunt. Exempla apud omnes pene sunt principes; Seianus, Germanicus, Felix, Plautianus, sed ut notiora persequar, Rufinus, Eutropius, Stilico, Alaricus, Aetius, Narces, Belisarius, Aristicus, qui potentes cum essent, imperatores offenderunt, misereque, aut inglorii perierunt. Quod si tyrannos intueamur, magnam partem esse inde discemus. Galba, Vitellius, Vespasianus, Seuerus, Macrinus, Philippus, Caius, Dioeletianus, Iulianus, & plures quam centum tyranni inter horum imperia grassati ex potentia, quam ab Imperatoribus acceperant, tyrannidem inchoarunt, & beneficia contulerunt ad evertendos auctores. Magnum semper principibus periculum a magnis imminet. Itaque principis potestas quae in ipso est vna atque vniuersa, mox a principe in multos aequales diuiditur, quod si vnus sit dignitate a principe secundus, aut tertius, ita tamen illius moderanda potentia est, ut plus honoris, quam vitium ex eo consequatur. Quod si in vnum omnia conferantur, iustitia conturbatur, principi tribuunt mala quae vnus ille patrar, nemo libere sententiam dicit. Vnus ille cum sit multis inuisus, neque id ignoret, conatur multos enervare, principem amicis ipolare, in difficultates conjicere, ut iam obligatum teneat, & obnoxium. Verum quomodo hoc caueat princeps dicam suo loco, nunc fons & origo tyrannorum ostenditur.

*Timendus
est regi, qui
eo ascendit,
vnde deici
non potest.*

Post principem non in vnum, sed multos potentia conferatur.

Hinc igitur cum multa tyrannides exorta sunt, plures tamen populi eas sibi ipsi imposuerunt. Fuit hoc praecipue temporibus vitatissimum, ut docet Aristoteles l. 5. polit. c. 10. Tyrannus vero ex populo & multitudine sumitur aduersus nobiles, atque illustres viros, ne quam populus ab eis iniuriam accipiat. atque hoc ex euentis intelligere licet. Nam plerique omnes fere tyranni ex leuibus populi custodibus ac ductoribus facti sunt (si dicere fas est) si dem apud populum consecuti claris & illustribus viris falso criminandis, & calumniandis.

Populus crebro sibi Tyrannos imponit.

No alia ratione tyrannidem affectarunt Manlius, Gracchi, & consecuti sunt Marius, Caesar. Et in minoribus imperiis, Panatius Leontii, Cypselus Corinthii, Pisistratus Atheniensis, Dionysius Siracensis, & posterioribus saeculis multi in vrbibus Italiae, Florentiae, Senis, Genuae, Mediolani, Pisis, atque aliis plurimis vrbibus, quae multa varietate administratae sunt, & sub crudelissimis Demagogis egerunt, donec ad moderata, & legitima imperia reuocarentur. Ut plurimum

num se malis suis populus implicat, nam cum ciues populus plus iusto effert, illi dominationem adepti, eosdem contra ius opprimunt.

Signa autem quibus principatum tyrannicum à legitimo discernas multa sunt.

Tyrannidis
signum si-
mulatio.

§. 6. Primum virtutum simulatio, maxime iustitiæ, & clementiæ. Quanquam enim omnis tyrannis grauis est, & odiosa, alius nihilominus tyrannus alio est humanior, cuncti tamen virtutes, quas non habent, saltem aliquando ostendant. Rari enim sunt extreme mali, vt Nero, qui iactabat nullum principem scisse, quid sibi licuisset. detestabilis itaque tyrannidis institutor est, quicumque principem docet, simulare virtutes, amplecti vitia. Simulationem deprehendes, si in quibusdam clementiam, ac iustitiam exhibeat, in alios crudelitatem, & violentiam vtantur. Andronicus Commenus nullo discrimine dignitatum noxæ conuictos damnabat, laudari poterat iustitia, nisi in maximis rebus ipse maximas iniurias adferret. Aliquando clemens fuit Alexander, sed magnam tamen amicorum partem occidit. Cæsar quam clemens visus est Ciceroni? & tamen vndecies centena millia bello non semper necessario, sed quod ambitione, & auaritia illectus gessit, trucidauit. Octauiani clementia laudatur, qui Corocottæ famoso latroni ignouit, sed crudeliter fuisse proscriptio acerbius quam à collegis exercita ostendit: totque equites ad Iulianam aram immolati, & fera vox, qua vna deprecantibus occurrebat: *Moriendum est*, animum crudelissimum demonstrant. Nero cum damnationi duorum militum subscribere rogaretur, *Quam vellem*, inquit, *nescire literas*. An nos hoc monitum immane, ingens, lutum sanguine subactum idcirco clementibus accensebimus? Hæc igitur si spectemus, non facile veras esse virtutes credemus, quarum interdum vestigia timor, spes, ambitio imprimit: Vitia enim sæpe virtutum imitamenta efficiunt.

Tyrannus
alta deme-
ritæ fastigia.

§. 7. Alterum tyrannidis signum est, vt ait Aristoteles l. 5. polit. c. 11. *Τὸ τὸς ὑπερχοῦτος κολεῖν, καὶ τὸς ἐπὶ νομιμασίᾳ ἀναρῶν*. Eminentes viros minuire, & prudentes ac magni spiritus homines à medio tollere. Sic Periander Thraſybulum dum spicas eminentiores amputat, sic filio Tarquinius papauerum amputatione suauit.

Cur tyranni
& opti-
mates nun-
quam ami-
ci.

Causam enim litis perpetuam habent magnates, & tyranni: nam quasi eiusdem artis æmulationem inter se exercent, imperare summo iure tyranni nolunt, parere nolunt, nisi ciuilitate, optimates. Itaque proprium tyrannidis est, odisse virtutem: trucidare fortes, omnibus inuidere. Tyrannorum sæuitiam maxime sentit nobilitas; nam senatum Romanum, equitesque fere Imperatorum Romanorum, qui sanguine multo regnarunt, crudelitas absumpsit: nec vnquam tam insignite improbis consilia defuerunt; Regulo, variæ, & carptim iussæ mortes, nimis operosæ videbantur; Neronem itaque monuit, *Vniuersum senatum vna voce posse deleri*.

Fera vox
Reguli.

§. 8. Tertium tyrannidis indicium est, subiectos facere *μικροψυχους*, homines pusilli animi, seruales, abiectos, ne quis de libertate asserenda cogitet, hinc tot mortes in Republica Romana iussæ, si quis priuato maiora videretur agitare. Duo sunt hoc tempore potentes Monarchæ, Hispaniarum rex, & Turcorum imperator, diuersa studia vtriusque, hunc tyrannum, illum regem legitimum ostendunt. Hispanus academiis, mercatura, arte bellica, nauigationibus, plurimo sumptu subditos exercet, ad magna excitat, & tantas opes, ad principum dignitatem, ad nobilitatis splendorem, animos alendos ac firmandos impendit; Ottomanides vero inscitia, pauperie, seruitio tot populos

Hispani re-
gis, & Tur-
ci diuersa
studia.

premit, Timariotas & Ianizaros veluti satellites prouinciarum spoliis saginat, nec illos tamen ad maiora quam quotidianarum rapinarum, & voluptatis spem erigit, hacque impunitatis illecebra, quæ teterrimi cuiusque est auctoramentum, tenet. Itaque quanquam multos audaces, & temerarios habeat milites, duces tamen prouidos fortesque nequaquam habet, imo nec milites; sed mancipia vitæ prodiga. Nec Moscorum principes alia ratione imperium auctoritatemque tumentur. Vt enim solum principem mirentur, nemini exterarum regiones obire permittunt, ne prudentiores, instructioresque, quam tam despotico imperio proficit, domum redeant; nullas scholas, nisi in quibus legere, & scribere addiscant, admittunt, nec in literis progrediendi desiderium ostendisse periculo vacat, id ideo, ne quis ipso plus sapiat, aut principi par sit; itaque cum de re grandi, & recondita queritur, prouerbio dicunt: *Deus hoc scit, & magnus dux*. Tyrannicum igitur est, quicquid habet subditus, amplum, egregium, pulchrum, siue in rebus mobilibus, siue etiam ingenio & dotibus animi, id sibi soli vindicare. Seneca in extremo periculo fuit, quod visus esset eloquens Caio; alius quod conspectiore veste, alius quod cincturorum comptu oculos in se conuertisset, occisus est.

Moscos suo-
rum subtri-
tiam fouet.

§. 9. Quartum signum tyrannidis, vt vocat Aristoteles *ἀδυναμία τῶν πραγμάτων*, rerum agenda- rum ablata potestas. Eo enim modo securam se putat, si nemo agere quicquam possit, quomodo enim Tyrannidem euertet, si nullam habet in Republica potestatem? Itaque tyrannus amicis non fidit, nouit omnes quidem velle, solos pene amicos posse tyrannidem extinguere. Hinc eos varie commutant, persequuntur, occidunt.

Tyrannus
rerum ge-
rendarum
potestatem
auferit.

§. 10. Quintum signum, si subditos, amicos, principesque inter se committant, sibi que mutuo reddant suspectos, Aristoteles libr. 5. politic. cap. 11. hoc vtile tyranno iudicat; nempe, si inter se male conueniant, calumnientur, discordiæ sint inter amicos, ciues à nobilibus sint alieni: cum enim omnis tyrannis ex se sit infirma, (est enim tyrannis Regni vitium, atque error) natura sua est breuis; quapropter alienis discordiis, atque imbecillitate magis, quam suo robore fulcitur, & durat. Perniciosum hoc consilium esse suo loco ostendam, nunc tantum signa cognoscenda tyrannidos exhibeo.

Tyranno
subditorum
concordia
videtur esse
conspiratio.

§. 11. Sextum tyrannidis indicium est; Homines ambitiosos, auaros, crudeles ad honores, & dignitates euehere. Eosdem deinde bonis, vitæque exuere; Vtuntur hominibus improbis veluti spongiis, quos aridos ac sitibundos in prouinciarum opes, sanguinemque immergunt, plenos deinde exprimunt, atque alieno nomine prædantur. Vires plenos Dionysius suspendebat, vacuos abiciebat. Quid atrocius illa voce beluæ, quæ haud temere cuiquam magistratum demandabat, nisi adderet; *Scis quid nobis opus sit*, Et: *Hoc agamus, ne quisquam quicquam habeat*. Late patet illa per Turciam tyrannis, neque enim facile quisquam Bassis, & Begis opulentior inuenitur, neque tamen nisi raro bona in haredem transeunt, sed in fiscum fere redeunt. Sunt alia, quæ, quia à bonis regibus recte nonnunquam sunt, non sunt propria criteria tyrannorum; Vt alere externum militem, timeri, exploratoribus, & Corycæis vii, vectigalia magna exigere, seuerè in delinquentes animaduertere, de quibus suo loco agam.

Tyranni
ministri vt
spongiis vt-
untur.

§. 12. Vtinam, vtinam quam serio tyrannidem, & tyrannum omnes detestantur, ita sedulo fugiant.

Stella

Tyrannidis
detestatio.

Si vlla res est orbi perniciofa, ſibi grauis, illa eſt tyrannidis: Tyrannorum ſtatus eſt laborioſus, rara lartitia, infelix exortus, miſerrimus exitus. Quorū enim quiſque ſuo fato functus eſt? Vere Iuuenalis Saryra 10.

*Ad generum Cereris ſine cade & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.*

Omnis ty-
rannus in
metu eſt.

§. 13. Cauſa tyrannorum morte ſublatoꝝ, iniuſtitia, metus, contumelia, quas Ariſtoteles l. 5. polit. c. 5. recenſet.

Oculos per orbem vniuerſum circumfer, & ſpecta non minutos illos oppidorum tyrannicos, Alexandrum Pheræum, Dionyſium Siracuſanum, Phalarin Agrigentinum, Hannonem Pœnum, Elearchum Heraclienſem, Nabidem Chalcedonium, Hipparchum Athenienſem, Piſiſtratos, Perian-dros. Neque tyrannos poeticos; Diomedem Thracem, Phineum, Erycem, Antæum, Mezentium, Cyclopa, ſed magnos regum nomine tyrannos, Antigonos, Seleucos, Antiochos, Perdiccas, Lyſimachos, Caios, Neronos, Vitellios, Galbas, Othones, Domitianos, Commodos, Maximinos, Michaelēs, Phocas, Mauritiōs, Ariſtonicos, Inuenies omnes perpetuo in metu verſatos, omnes quos terruerunt, timuiſſe, metum in auctores rediſſe, pleroſque, quamuis muniti gladiis vixerint, exercitus & arces tutelæ ſuæ adhibuerint, ferro, aut ſœdiore nece petiſſe.

*Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.*

Tyrannus enim quemadmodum omnibus libertatem, omnibus quietem, ita ſibi præcipue ſecuritatem auferat. Qui enim pacare, ſecure, quiete viuere is poteſt, ob cuius calliditatem, violentiam, iniuſtitiam nemo ſecurus eſt? Cuius ſub ictu tremunt omnes? Quam meticuloſus Conſtantiuſ Auguſtus, poſtquam regnum paternum in tyrannidem verterat? Quicquid concepiſſet, ad ſalutis diſpendium eſſe exiſtimabat. Marcellin. l. 14.

Agnoscunt ipſi interdum ſua merita, ita Adonibezec (Iudic. 1. 7.) Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Et Conſtanti-nopoli Mauritius, Inſus es Domine. Accedit & illud ad miſeriam tyrannorum, quod quocun-que modo cædantur, etiam per fraudem, & iniuriam, magna tamen in laude apud improbos ſint illi, qui hoc auſi ſunt, etiamſi per ſcelus, & contra iuriſiurandi religionem facinus patrari-nt: Hoc ſane ad cumulum miſeriarum pertinet, etſi iniuſta ſit cædes, multis ſit tamen grata. Cauſam reddit princeps Philoſophorum l. 2. polit. c. 7. Enimvero maximas iniurias propter immoderatas cupiditates homines inferunt, & non propter res neceſſarias: Verbi gratia, tyrannidem occupant, populūque impio dominatu opprimunt, non vt ne algeant, ſed vt ſuas libidines impune expleant. Idcirco magna premia propoſita ſunt, non ei, qui ſurem: ſed qui tyrannum occiderit. Nec alius ſenſus eſt nefariorum tyranni ſatellitum, & miniſtrorum. De Caligula audax factum ſenatoris narrat Dio. Interfecto Caio prætoriani milites conturbati, concurſantesque quærebant, quis eum occidiſſet? Hos Valerius Aſiaticus vir conſularis præter opinionem ſedauit. Aſcendit enim in excelsū, atque oditum locum, atque inde vociferatus. Vitam, inquit, eum ego interfeciſſem. Quibus verbis obſtupefacti, tumultuari deſierunt. Prætoriani milites, & Prætoriani Cai-ani omnium ſcelerum focii, atque adminiſtri, libidinū, & rapinarum participes vnicā voce moti vindictam omittunt, & factio oſtendunt ſibi iure cæſum videri. Cum igitur tyranni quemadmodum

Tyrannici-
da iniuſtus
in laude eſt
apud popu-
lū.

Miniſtri ty-
rannorum
de eorum
nece gau-
dent.

leones, tigrides, vrſi, aquilæ, laniatu ac raptu uiuant, ideoque ſe norint omnium odiis eſſe obnoxios, omnium inſidiis ſe peti, ad inſtar beluarum loca prærupta, & ſpeluncas amantium, ipſi arces, caſtra, arma quibus tegantur, apparant, quantumque poſſunt, ſeſe recondunt. Deo pariter & hominibus exoſi. Ideo ille etiam qui eos per ſcelus occidit, apud iniuriam paſſos ſæpe gratus eſt.

CAPVT XVII. Ariſtocratia deſinitio, & conſidera- tio.

§. 1. ALTERA Reipublicæ ſpecies eſt, cum plures imperant. Ea bipertita, vel enim pauci, & optimates, vel totus populus eſt imperii particeps.

Ariſtocratiam dictis conuenienter definire licet, Tὴν ἀριſτὴν τῆς αἰείας πρὸς τὸ ἀρχαμένῳ ſυμφερον. Optimorum regimen quod vtilitatem parentum ſpectat. Ariſtoteles l. 4. polit. c. 7. Simpliciter in hac gubernatione optimos poſcit. Αἰειρεκρατία μὲν ἔν κατ'ὅς ἔχει καλὴν, καὶ ἡς διηλθόμεν ἐν τοῖς πρὸς τοῖς λόγῳ, τὴν γὰρ ἐν τῇ αἰείᾳ ἀπλῶς, κατ' ἀρετὴν πολιτείαν, καὶ μὴ πρὸς ὑπερβολὴν τῆς ἀγαθῆς ἀνδρείας, μόνῃ δικαίᾳ θεωροῦμεν αἰειρεκρατίαν. ἐν μὲν γὰρ ἀπλῶς ὁ ἀνὴρ καὶ πολὺς ἀγαθὸς ἐστίν. Ariſtocratiam igitur appellare liceat, (de qua prius egimus) Politiam que ſit ex viris ſim- pliciter, & ſecundum virtutem optimis, non qui ex hypo- theſi, ſeu ad certum aliquem finem ſint boni. In hac enim ſola Republica idem eſt & vir ſim- pliciter bonus, & bo- nus ciuis.

Optimarū
Reſpub.

Difficilis ſane fuerit non eius definitionis expli- catio, ſed vſus, ſi res humanas ſpectemus. Quis enim optimos ſolos agnoſcet, quis ad magiſtratus euehet? Cato repulſam tulit. Ariſteides oſtraciſmo pulſus eſt. Αἰεῖς igitur huiuſcemodi potius nulli, quam multi imperant. Occurrit tamen Philoſophus l. 3. c. 7. Αἰειρεκρατίαν δὲ λέγει, διὰ τὸ τὸς αἰείας ἀρχειν, ἢ διὰ τὸ πρὸς τὸν ἀνδρὶ τῇ πόλει, καὶ τοῖς κοινω- νουμένοις αὐτῆς. Vocari ariſtocratiam ſeu regimen optimatum, vel quod optimi imperent, vel quod omnia ad id, quod ciuitati, illiusque municipibus optimum eſt, referant. Po- teſt tamen & hoc aliis conuenire formis, nam in regno, & populari regimine optimum quaeritur. Et poteſt hoc ſibi propoſitum habere vir non optimus, nec tamen iniuſtus.

Optimorū
electio.

§. 2. Optimos igitur dicemus, qui aliorum com- paratione minus mali ſunt, aut in quibus plura quam in plebe virtutum argumenta reperiuntur. Cum vero electio virorum ſim- pliciter optimorum ſit difficilis: nam facili- per ſimulationem probitatis nequiſſimus quiſque gubernaculis adre- pit, & male tecta vitia, in poteſtate cum exitio Rei- publicæ manifeſtat, non eſt vt vitioſa reprehendenda adminiſtratio, ſi nobiles, diuitesque fre- quenter præteritis è plebe melioribus, & pruden- tioribus magiſtratus capeſſant. Nam quam diu ratio boni communis habetur, manet legitima Rei- publicæ forma. Nobiliū vero & diuitium ratio habenda eſt. Nam genere, inſtitutione, indole, po- tentia præualent, maior igitur illis animus ad ho- ſtes arcendos, acior ad patriam defendendam ſti- mulus in qua fortunata, & honores habent, qui in publico periculo priuatim perdere plus timent, ne- que enim oppreſſa vel exciſa patria alibi tam eſſe poſſunt honorati. Pauperum alia eſt ratio, neque enim qui labore ſuo, & induſtria victitant, multum ſe patriæ debere arbitrantur, & facile patriam aliam reperiunt, vbi labori & arti alimenta præſentur. Cum igitur amantiores patriæ ſint nobiles, fortio-
ros,

Optimi mi-
nus mali.

Nobiles &
diuites ſæpe
habentur
optimi.